

que juvenes et peritissimi delitescunt, nec, qua fundorum dominis facile innotescant, nec qua de multorum vacuitate munerum certiores fieri queant, occasione utuntur. Quo fit, ut pauci talia munera ambient, iique maximam partem tales, qui, quod ob imperitiam munere vacui ubique circumvagantur, undique omnibus de rebus famam accipiunt. Domini igitur fundorum et conductores optionem inter multos facere nequeunt, et, quos quaerunt, instructos idonea scientia juvenes rarissime inveniunt. Quam ob rem esti fundi administrandi rationem emendare velint, tamen rem per annos plures deinceps differunt, utpote cum, quem rebus suis praefecerunt, bene moratum, quanquam minus dexterum, nolint dimittere.

Deinde, quominus in disciplina proficiant, aliud accedit impedimentum, quod in dijudicandis agricolarum caussis, sive aliis, sive forensibus iudices aestimatoresque non ad certas disciplinae leges et rationes omnia revocant et exigunt. Quo fit, ut non solum falso aestiment multa diimantque, verum etiam vulgarem quandam et propter se contemnendam formulam in damnum agriculturae tueantur.

Tum vero etiam non sunt silentio praetereundi homines in re rustica hospites, qui huic rei, quod manum admovent, desunt potius, quam prosunt. Hi enim redemptores fundorum aut conductores non modo meliorum hominum locum occupant, sed etiam, perversam agricolandi rationem ineuntes, parum in eadem re versatis hominibus exemplo nocent. Eorundem in numerum referendi sunt, qui in consilium adhibentur principibus, summis saepe muneribus praefecti. Qui quidem cum, qua sunt munerum dignitate conspicui, suoapte tantum arbitrio plurima institui jubent, nec, si qua perperam docti sunt ab imperitis quibusdam rusticis, prudentiores viros sibi patiuntur obloqui. Multi sunt etiam, qui in re rustica injuria sibi videntur sapere, tum societatis aliquo vinculo conjuncti, tum ea sunt audacia, ut quaestiones suas, quas, qui judicare sciunt, inanes esse facile intelligunt, publicis commentariis inseri jubeant.

Alii ejusmodi homines semidocti, libris in publicum separatim editis multorum lectorum iudicia occupant. Cujusmodi scripta, do-